

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

cia. At vero errant, qui pugnae isti in solis adiaphoris terminos figunt. Latius illa patet & doctrinae fidei sese immiscet, imo ipsum principium & fundamentum Ecclesiae Romanae concernit. (β)

(α) Ita Grammond. l. 1. Histor. Gall. p. m. 69. *Imbuebamur Concilii Oecumenici doctrina, & si quid irrepsit contra politicas leges aut privilegia regni, explicari fas erat, aut mutari prout proponebatur: Non haec concilio, quod vocant, essentialia, non haec de fide: Parerga erant, citra necessitatem adjecta, quae nihil vetuit leniri, aut tolli penitus: quae contra objiciebantur, vana erant.*

(β) Sic etiam discrimen illud extenuat du Pleix Histoire de France circa ann. 1593, & plerumque haec est illorum excusatio, cum dissensus objicitur, non esse de fide, quae ultro citroque disputantur.

§. VIII.

Mirum est, rem parvi momenti a Gallis haberi, quae tantae amplitudinis est, ut per omnes fere fidei articulos omnesque status hominum sese diffundat. Triplex hominum status est, Ecclesiasticus, politicus & Oeconomicus, sed in istis principiis, quibus illi status reguntur, Ecclesia Gallicana neque cum mente Concilii Tridentini, neque cum Romanae sedis hypothesebus concordat. Videamus statum Ecclesiasticum, *cujus regimen Monarchicum esse debere sub uno capite, nempe Pontifice Romano, cui jure divino suprema in Ecclesiam auctoritas, summa decidendi facultas, & infallibilis judicandi potestas competat*, fortiter Romae docetur; in Gallia vero multis modis rejicitur. Neque enim forma Ecclesiae Monarchica sed Aristocratica potius Episcopis placet: Suprema decidendi potestas non Pontifici sed Conciliis vindicatur. Illa haecenus decantata *infallibilitas Papae* penitus destruitur. Verum quidem est de summi Pontificis infallibilitate nihil in Tridentino expresse decretum fuisse, sed judicandum est de hoc articulo ex mente

mente & intentione Concilii, quæ sane hæc fuit, ut ipso facto sedis Romanæ infallibilitatem inculcarent. Unde etiam Curia Romanæ satellites dicere solent; *in omnibus Tridentini decretis quasi tacite & implicite hunc articulum contineri.* Non disputo nunc quam vere illa dicantur, nobis enim hinc nec seritur, nec metitur, siue Tridentina Synodo Pontificis Romani infallibilitatem agnoscat, siue præsupponat siue tacite involvat. Illud tamen certum est, olim Ecclesiam Gallicanam iudicasse hoc dogma in Tridentino stabilitum, eamque ob causam Anno 1593. publicam ejus receptionem renuisse. (a) Hoc vero certius adhuc, maximum semper fidei caput inter Pontificios fuisse *de capite summo Ecclesie visibili & infallibili,* neque arbitror, Romam eo facile adductum iri, ut Gallis concedat, hanc doctrinam non esse de fide. Certe sapius a Syncretistis Pontificiis assertum est, Protestantes suis opinionibus relinquere & in Ecclesiæ Romanæ gremium recipi posse, modo Pontificem Romanum pro capite Ecclesiæ visibili eoque infallibili agnoscant. Tanti visus est illis hic articulus, ut reliqui omnes ad eum comparati quasi nullo loco haberentur. (b)

(a) Hoc patet ex iis, quorum supra memini in recensione XXII. articulorum; Verba du Pleix in Histor. Henr. IV. ad ann. 1593. p. m. 115. hæc sunt. *La même Concile declare, que tout ce qui est ordonné en iceluy en quelques termes, que ce soit touchant la reformation de mœurs & discipline Ecclesiastique soit entendu sans déroger à l'autorité du S. Siege. Par ces termes, l'autorité du Concile en quelque sens semble estre soumise à celle du Pape: ce qui n'est pas approuvé en France.*

(b) Exemplum historia præbet in Ecclesiis Græcis Russis Polonica, quibus Roma opinionum suarum rituumque libertatem indulgit, modo Pontificis primatum agnoscerent; quo facto istæ Ecclesiæ sensim in Pontificias mutatae sunt. Pari modo Paulus IV. Pontifex Elisabethæ, Angliæ Reginae, statum Romanæ Ecclesiæ offerebat, relicto etiam jure Sacrorum, modo in Primatum ejus consentire vellet. Eademq. methodus nuper fuit illius Episcopi Thinenfis, qui per plurimas Principum Evangelicorum aulas vagatus, in gratiam

Pontificis nostros recipi posse dixit, Laicis restitui etiam calicem, matrimonia Clericis permitti posse, ac in reliquis facilem fore consensum, modo Papali dignitati sese submitterent, hoc est, ut rectius interpreter, excusso Tyrannidis jugo denuo collum subderent.

§. IX.

Ex quo apparet, quanti ponderis hic articulus apud Pontificios habeatur, ut eo salvo ne quidem de reliquis sollicita sit Roma. Quis ergo credat in Romana Ecclesia hoc dogma non esse de fide? quod omnibus fidei articulis anteponitur, quo salvo facilis est in reliquis compositio. Quo negato hæreseos nomen durat, admissio autem, etiam Schismatis nota exspirat. Certum enim illud est, Ecclesiam Græcam, si Papæ se subiceret, retentis etiam erroribus de *Processione Spiritus S. à solo Patre, de Azymo &c.* in gremio Ecclesiæ toleratum iri. Bellarminus, Becanus, alique adulatores Romanæ sedis præcipuam ajunt hæresin esse, si quis Pontificatum labefactare conetur: Quo nomine anne hodie suspecti sint Galli, ipsa Roma judicet. Saltem nunquam crediderim, Romam & Galliam in fide consentire, quousque in ipso Fidei principio non convenerint. Qua de re infra pluribus diceretur in peculiari capite de *Schismate Gallie reali.*

§. X.

At vero ut magis pateat dissensus Ecclesiæ Gallicanæ a Concilio Tridentino, prodeat illa vexata quæstio: *An Clerici potestati civili subjaceant?* Quid dogmatis est, pro quo Clerus Pontificius fortius pugnet quam pro immunitate Clericorum & exemptione a jurisdictione civili? Canonistæ hanc esse ajunt communem sententiam; *Clericos a potestate civili simpliciter & absolute & quidem jure divino esse exemptos, nec quicquam licere Magistratui politico seu in bona, sive in vitam, sive denique in honorem eorum.* (a.) Unde etiam Moralistæ concludunt, si forte Cle-